



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Viaggi Di Pietro Della Valle Il Pellegrino**

Con minuto ragguaglio Di tutte le cose notabili osseruate in essi, Descritti da lui medesimo in 54. Lettere familiari, da diuersi luoghi della intrapresa peregrinatione, Mandate in Napoli All'erudito, e fra' più cari, di molti anni suo Amico Mario Schipano, Diuisi in tre parti, cioè La Tvrchia, La ...

La Tvrchia

**Della Valle, Pietro**

**Roma, 1650**

Innocentivs Papa X. Ad futuram rei memoriam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13061**

# INNOCENTIUS

P A P A X.

Ad futuram rei memoriam.



*V* M sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Raphaël Fabretti Vrbinatensis, ipse quoddam Opus : Viaggi di Pietro della Valle il Pellegrino descritti da lui medesimo in 54. lettere familiari diuisi in trè parti; cioè la Turchia, la Persia, e l'India, con la quarta parte continente le figure delle cose memorabili, e la loro esplicatione, *in scriptum, typis in hac Alma Vrbe nostra mandari facere intendat, vereatur autem ne postmodum alij, qui ex alieno labore lucrum querunt, idem Opus etiam in ipsius exponentis praiudicium imprimi curent: Nobis propterea humiliter supplicari*

cari fecit, ut desuper opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Raphaëlem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis a iure, vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus ex sit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Raphaëli, ut decennio proximo durante a primæua dicti Operis, dummodo tamen illud antea a dilecto filio Magistro Sacri Palatii Apostolici approbatum sit, impressione computando, nemo tam in Vrbe, quam in reliquo statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè nobis subiecto Opus prædictum sine speciali dicti Raphaëlis, aut eius hæredum, & successorum, vel ab eis causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impressum vendere, seu venale habere, aut proponere possit & valeat, Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis vtriusque sexus Christiani fidelibus, præsertim librorum impressoribus sub 500. ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium, pro vna Camera nostræ Apostolicæ, & pro alia eidem Raphaëli,

1723

phaëli, ac pro reliqua tertijs partibus accusatori, & Iudici exequenti irremissibiliter applicandis, & eo ipso absque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne decennio huiusmodi durante Opus prædictum, aut aliquam eius partem, tam in Vrbe, quam in reliquo statu Ecclesiastico prædicto, sine huiusmodi licentia imprimere, aut ab alio vel alijs impressum, vendere, vel venale habere, seu proponere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea dilectis filijs nostris, & Apostolica Sedis de latere Legatis, seu Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum status nostri Ecclesiastici, quatenus eidem Raphaëli, eiusque heredibus & successoribus, seu ab eis causam habentibus huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocumque ab eodem Raphaële, seu alijs prædictis fuerint requisiti, pœnas prædictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus

DE

lunus autem, ut presentium transumptis etiam  
in ipso opere impressis, manu alicuius Notarij publi-  
ci subscriptis, et sigillo alicuius persone in digni-  
tate Ecclesiastica constituta munitis, eadem pror-  
sus ubique fides adhibeatur, quæ presentibus adhi-  
beretur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum  
Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo  
Piscatoris die 29. Nouembris 1650. Pontificatus  
nostri anno 7.

M. A. Maraldus.

Locus ✱ Sigilli Piscatoris.



DE